4

FORMVLA IVRISIVRANDI, AC VOTI, QVOD PVBLICE D. O. M. IN HONOREM INTEMERATÆ Conceptionis B. V. M. nuncuparunt.

COLLEGIVM

HISPALENSE D. HERMENECILDI, Societatis Ieſu, Collegium eiuſdem B. M. Conceptæ ſine labe, Seminarium Anglicum, & Hybernum eiuſdem Societatis.

HISPALI,

Apud Ignatium de Lyra, Anno Domini 1653.

INDIVIDVÆ Trinitatis, & Chriſti Ieſu Nomine, cuius fidem, & ſyncera mentis pietate complectimur, & oris publica confeſſione teſtamur: Nomine Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quã Dei Matrem agnoſcimus, Angelicæ Curiæ, hominumque generis vniuerſi Reginam ac Religioſi noſtri famulatus dominam confitemur, coram vniuerſo cœleſti Angelorum, ſanctorumque cœtu, ſanctorũ præſertim Hermenegildi Regis, & Martyris, Patroni noſtri, & noſtri Fundatoris & Parentis Ignatij ope implorata: obtẽta ad hoc facultate Reuerendi admodum P. Petri de Fonſeca Præpoſiti Prouincialis huius Prouinciæ Bæticæ Societatis Ieſu, eiuſque hortatu, & iuſſu.

Præmiſſa prius matura Cõſilij deliberatione, cõſiderata ſæculorum ſerie, in quibus viguit, vndeque ad noſtra vſque tempora pietas hæc in Dei Matrem profluxit, qua præſertim noſtra cæpit, & aucta eſt Societas: inſpectis inſuper gratiarum priuilegijs, indulgentiarumque conceſſionibus, quas de plenitudine poteſtatis Summi Pontifices, Eccleſiæque Rectores Mariam Deiparam ſine labe conceptam pie credentibus impertiti ſunt, quas & ſingillatim impertit Sanctiſſimus D. noſter Innocentius Dei Miſericordia Papa Decimus: Sequuti itẽ Regis noſtri Chatolici Philippi Hiſpaniarum hoc nomine quarti pietatem, affectum, & exemplum, quibus ex animo in aſſerenda eiuſmodi Deiparæ Mariæ immunitate totus eſt, ac ſuos ad maiora ſemper laceſſit, acuitque pietatis argumenta.

De noſtra demum pietate, & affectu, ſi quid id eſt, quibus ſemper in hanc partem propenſi fuimus, ſtimulante nos ad hæc obſequij officia nobiliſſimi Senatus Hiſpalenſis ordine, quem multis ab hinc annis vno omnes agmine ſequuti ſunt:

Nos Franciſcus de Guillaude Rector Collegij Hiſpalenſis D. Hermenegildi Societatis Ieſu; Criſtophorus de Aguilar Rector Collegij Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ: Bernardus Kinſmanus Superior Seminarij Anglicani D. Gregorij Papæ: Bartolomæus de Carmona ſuperior Seminarij Hyberni eiuſdem Societatis: vna cum omnibus, & ſingulis quiſque noſtris Magiſtris, Collegis, & Alumnis.

Iuramentum facimus, ac votum publice nuncupamus Omnipotenti Deo coram eius Virgine Matre, vniuerſaque cæleſti Curia apud te, Reuerendiſſime P. Petre de Fonſeca noſter Præpoſite Prouincialis, ſacram in primis Euangeliorum fidem teſtantes, Deo Auſpice, Adiutoreque, credẽdi, ſentiẽdi, aſſerendi, propugnandi, ac demum promulgãdi, ea ratione, & forma, qua no-

nobis; & licet ſit par eſt, Virginem Dei Matrem Mariam, Dominam noſtram infectam nunquam fuiſſe originalis culpæ labe, ac proinde omni omnino immunem peccati fœditate (quam vniuerſum Adæ genus contraxit:) Nec inter filios iræ numerandam eſſe, quæ increato Dei Verbo concipiendo deſignabatur; Immaculata, quæ concepit ſingulari eius, qui eam ſuo ingenerato clauſit viſcere, gratiæ beneficio præuenta, ne vel in primo ſuæ Conceptionis inſtanti originalis noxa irretiretur, Deo per Chriſti Ieſu merita eam illa gratia impendente, qua Deo ipſi gratioſa, & a peccato originali immunis extiterit.

Iuramentum præterea facimus, & vouemus, eo animo nos omnes, ac ſingulos hanc veritatem aſſerturos, propugnaturoſque, vt diſpendium vitæ noſtræ ſtatius pluris facturi, ſanguinemque noſtrum in ſpontaneam Deo victimam profuſuri, quam vlla nos teneat huius veritatis deſertio; parati tamen in omnibus obſequia ſummo Eccleſiæ Capiti debita præſtare, quod quidem certum, ac firmum eſt veritatis fundamentum.

Ad tuam ergo aram ſuppliciter flexi, Maieſtatem tuam, Maria Ieſu noſtri Mater, quanto poſſumus obſequio venerantes, enixe poſtulamus, admittere digneris hoc oblationis noſtræ Holocauſtum, hoc voti noſtri pignus, in odorem ſuauitatis, & amoris monumentum. Hoc ſcilicet gratiæ tuæ originali æternum ſtabili. Secunda Sanctiſſimi Domini noſtri Innocentij Papæ X. res omnes, atque in maiora prouehe incrementa. Tuere Catholicum Regem noſtrum Philippum, vt de triumphatis fidei hoſtibus, a tua illa immunitate, quam ſemper propugnauit, habeat & de gratia tranquille, & ſalutem vt triumphare; eũ iſtam Familiam omnibus corde proſtratam, miſericordiæ tuæ donis affice, rege ſemper ac foue, vt quæ deliberati animo concepit, & eodem vota ſua integrè [illegible]. Hiſpali, die 3. Iunij, Anni 1653.